









166

THESES JURIDICÆ  
DE DOMINIO,  
ET EIVS MODIS AC-  
QUIRENDI NATURALIBUS:  
MATERIA NON MINVS  
utili quàm frequente.

1613, 5.

*Quas*  
AVSPICIO SACROSANCTÆ  
TRINITATIS,

*Sub Præsidio*  
CASPARI BITSCHII J. U. D.  
ET PANDECTARUM ARGEN-  
toratorum in Academia Professoris,

Publicè defendendas suscepit,  
Mense Augusto:

PETRUS LINDELAUFF  
*Viennensis Austriacus.*



ARGENTORATI,  
Excudebat Antonius Bertramus Academia Typographus.  
M. DC. XIII.



031





107



THESES IURIDICAE,  
DE DOMINIO, ET EIUS ACQUI-  
rendi modis naturalibus.

**C**VM Platonis ex sententia felix  
atq; beata censenda sit Respublica  
illa, in qua haec voces MEUM &  
NON MEUM rarissime audian-  
tur: teste Plutarcho in præcept. Coniug. id  
autem, postquam, usu exigente & humanis ne-  
cessitatibus, distinctio dominiorum est introdu-  
cta, commodius fieri non possit, quam si certis  
quibusdam ex naturali atq; civili ratione de-  
promptis regulis atq; præceptis propositis, quid  
cuiusq; sit, vel quomodo quid cuiusq; fiat, do-  
ceatur; & hoc pacto contentiones atq; dissidia  
præcidantur: quod Iureconsultorum in scholis  
fit: operæ pretium nos facturos putavimus, si  
publicæ exercitationis Iuridicæ gratiâ, hac po-  
tissimum de materiâ Theses aliquas nunc pro-  
poneremus.





T H E S I S I.

Dominium à Domino dici, haud dubium;  
dominum verò à domo (a) appellari, veri-  
simile est.

a) Quò facit illud Vlpiani in l. 95. §. 2. ff. d. verb. signif. Patrem-  
familias dici illum qui in domo dominium habet. Et illud Senecæ epist. 47.  
Dominum patremfamilie appellaverunt, &c. domum pusillam Rempublicam  
esse iudicaverunt. Et illud Ennij, O domus antiqua, heu quàm dispari do-  
minaris domino? apud Ciceron. lib. 1. offic. Quomodo & apud Græcos,  
δίκος & δικά domus est; δικέϊον, proprium: δικέτης, qui in mancipio do-  
mini est servus, seu familiaris.

I I.

Definitiones, eius leguntur varia: Nobis  
hæc placet, quod sit Jus, quo res corporalis (a) sua  
cuiq; propria (b) est.

a) l. 4. pr. ff. communi dividundo. l. 3. 11. ff. de donat. int. vir. & uxori.  
& Reivocabulum in hoc tractatu, de acquirendo rerū dominio; ut &  
in materiâ Rei vindicationis, & vsucapionis; semper de re corporali  
accipitur. Incorporalium verò rerum, veluti servitutum, usufructus,  
pignoris, dotis, aliorumve iurium, dominium aliquod esse, nec ma-  
nifesto aliquo Iuris Iustiniani textu, nec ullâ ratione idoneâ ex eo-  
dem petitâ astrui posse putamus: edocti commentarijs absolutissimis  
Clarissimi & Consultissimi Dn. Doctoris Iusti Meieri, præceptoris  
nostri honorandi, quibus & alia plæraq; huius disputationis acce-  
pta nos referre, se inel profiteamur. (b) In eo forma dominij con-  
sistere videtur: atq; idcirco in l. 13. ff. d. acquir. rer. domin. dicitur, domi-  
nium id est proprietas. Libera verò rei administratio l. 21. C. Mandati. &  
alienatio l. 2. ff. si à par. quis man. sit. l. 14. C. d. contrab. empt. potius for-  
mæ illius consequens (quamvis non omninò perpetuum t. t. Inst.  
Quib. alien. licet.) & dominij finis vel effectus, quàm forma ipsa esse  
videtur.

*Dividi*



I I I.

Dividi in species veras Jure Justiniano non posse, sed ipsum infimæ speciei nomen esse, arbitramur.

I V.

Nam quod in Directum & Utile dispescitur; id propter usum quidem forensem neq; contemnendum, neq; ignorandum est: sed tamen sciendum, non Juris Civilis id inventum, sed interpretum commentum esse.

V.

Distinctionem tamen eius in dominium plenum, vel purum, & minus plenum vel nudum, libenter admittimus.

arg. S. ult. Inst. de usufructu. l. 73. pr. ff. de legat. 3. l. 3. §. 2. C. Commun. de legat. &c.

V I.

Acquiritur autem Dominium, vel Jure Naturali sive Gentium, vel Jure Civili.

§. 11. Instit. d. rer. divis. l. 1. ff. d. acquir. rer. domin.

V I I.

Modi acquirendi dominij Jure Naturali, de quibus solis iam nobis agere est propositum, multi sunt, & varij.

V I I I.

Primus, isq; antiquissimus, (a) est Occupatio: (b) id est Apprehensio rei vacuæ. (c)

A 3

a) Vnde:





a) Vnde Nerva, ex naturali possessione dominia rerum ce-  
 pisse, dicit, l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel omitt. poss. Et Cicero lib. 3. de offic.  
 inquit: Privata primùm extitisse veteri occupatione, ut qui quondam  
 in vacua venerunt. (b) Occupare propriè est, quòd in medio, sive in  
 medium atq; in commune positum est, ante ceteros capere: ut Lau-  
 rentius Valla scribit lib. 5. elegant. cap 57. vel, ut Paulus I Crus loquitur  
 in d. l. 1. §. 1. ff. de acquir. poss. primum possessionem alicuius rei appre-  
 hendere, sive primum rei possessione nancisci. (c) Vacua autem ut sit,  
 nõ sufficit ut in nullius privati sit dominio, sed requiritur etiam, ut ne  
 quidem in Civitatis seu populi pecunia sive patrimonio sit. Hæ enim  
 res, licet respectu rerum quæ singulorum sunt, nullius esse dicantur. l. 1.  
 pr. ff. d. rer. divis. tamè ratione rerum earum quæ communes sunt omni-  
 um, non sunt nullius arg. § 39. in fin. Inst. h. t. sed ad civitatem aut populũ,  
 vel, qui huius loco est, Principem, pertinent. l. 18. ff. d. acquir. rer. domin. l.  
 6. l. 32. ff. d. cõtrah. empr. Item requiritur, ut nec revera sit alicuius, neq;  
 alicuius esse fingatur: veluti res hereditariæ d. l. 1. pr. ff. de rer. divis. He-  
 reditas enim harũ rerum videtur esse dominus, l. 13. §. 1. ff. ad. l. Aquil. seu  
 domina, & defuncti locum obtinere l. 31. §. 1. ff. d. hered. inst. sive do-  
 mini loco habetur. l. 15. ff. de interrog. in iure faciend. Deniq; requiri-  
 tur, ut actu quidem sit nullius, & à domino vacua; potestate tamen  
 alicuius fieri & in alicuius dominio esse possit: sive ut sit commercio.  
 Privatio enim eorum est, quæ apta sunt ad percipiendum habitum,  
 Arist. in Categor. Non igitur huc pertinent res divini Iuris, h. e. sacræ,  
 religiosæ, & sanctæ: quippe quæ tam potestate quàm actu nullius sunt,  
 pr. & §. 7. & 10. Instit. de rer. divis. §. 2. Instit. de inutil. sup.

I X.

*Etsi verò occupatione non modò acquiruntur  
 fera bestia: (a) sed etiam lapilli & gemma, &  
 cætera quæ in littore maris inveniuntur: (b) &  
 ipsum littus ac fundus maris: (c) & insula in  
 mari nata: (d) & thesaurus: (e) & res prode-  
 relicto habita: (f) & quodammodo species novè  
 facta:*





facta: (g) & in genere quæcunq; naturali iure sunt communia omnium: (h) imò & ea quæ sunt hostium. (i)

a) d. §. 12. Instit. h. t. (b) §. 18. Instit. h. t. (c) l. 18. pr. l. 30. in fin. ff. d. acquir. rer. domin. l. 45. ff. d. usurp. & usucap. (d) §. 22. Instit. eod. e) l. 31. §. 1. ff. d. acquir. rer. domin. (f) §. 46. Instit. h. t. l. 36. ff. d. stipul. servor. (g) l. 7. §. 7. in pr. l. 30. in fin. ff. d. acquir. rer. domin. (h) dictum thesi precedente. (i) §. 17. h. t. l. 1. §. 1. ff. d. acquir. possess.

X.

Tamen vestigia Imp. Justiniani in Institutionibus prementes, in specie de Occupatione ferarum loquimur: quæ omnia animalia fera, (a) quæ terra, mari, cælo (b) nascuntur, (c) simul atq; ab aliquo capta (d) fuerint, statim illius esse incipiunt. (e)

a) Fera autem in iure dicuntur non præcisè quæ naturâ sunt ferocia: ut ursi, leones, lupi &c. quæ propriè Bestiæ vocantur. l. 1. §. 6. vers. Bestias. ff. de postul. l. 2. ff. ad L. Aquil. sed generaliter omnia, quibus immensa atq; infinita liberè vagandi vis naturâ insita est: qualia sunt lepores, damæ, cervi. &c. arg. l. 3. §. ult. ff. d. acquir. rer. domin. l. 3. §. 14. ff. d. acquir. possess. §. 12. Inst. h. t. Aliud in ijs quæ feram naturam non habent §. 16. Inst. h. t. l. 5. §. 6. ff. de acquir. rer. domin. (b) id est, aëre. Sic etiâ volatilia cæli. Gen. 1. vers. 26. 28. 30. Cic. 1. Tuscul. vt penetret cælum hoc in quo nubes, imbres, venti, coguntur &c. Virgil. 1. Georg. Varium cæli prædiscere morem. (c) Capiuntur inquit Gaius l. 1. ff. d. acquir. rer. dom. & Paulus in l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. & l. 26. ff. d. furt. At nascuntur Iustinianus, in pr. Inst. de Jure Natur. Gent. & Civili, & in pr. 12. Inst. d. rer. divis. ut & Vlpian. in l. 1. §. 3. ff. d. Justit. & Jure. Non malè. Nam & Aristoteles tradidit, animantium quorundam ortum esse in aëre, teste Cicer. lib. 2. d. nat. Deorum: non quòd absolutè in aëre sint & generentur, ut pisces in aqua; id enim aliter se habere, docet idem lib. 4. meteo-  
rolog.



101  
rolog. cap. 4. & lib. 1. de histor. animal. cap. 7. sed quod terrenum aliquod  
subiectum, substratum, seu sustentaculum habeant: veluti sunt aves,  
quæ in iugis montium, summitatibus arborum, culminibus domo-  
rum nidulantur. (d) non tantum vulnerata § 13 Instit. h. t. l. 5. §. 1. ff. d.  
acquir. rer. domin. (e) d. §. 12. Inst. h. t. & d. l. 1. §. 1. ff. d. acquir. rer. domin.

X I.

*Non autem interest, an quis ista animalia  
in suo fundo ceperit, an in alieno.*

d. §. 12. l. 3. §. 1. ff. d. r.

X I I.

*Potest tamen qui alienum fundum venandi  
aucupandive (adde & qui alienum stagnum  
(a) piscandi) gratiã ingreditur, à domino, si is  
præviderit, prohiberi ne ingrediatur: (b) & si  
contra prohibitionem ingrediatur nihilominus,  
iniuriarum tenebitur (c): atq; etiam interdicto  
uti possidetis (d): & de vi, si vim fecerit. (e)*

a) l. 13. ult. ff. d. iniur. b) §. 12. Inst. h. t. l. 3. §. 1. ff. d. acquir. rer.  
domin. c) d. l. 13. §. ult. ff. de iniur. d) l. 14. ff. de iniur. l. 3. §. 2. & seqq.  
ff. uti possid. e) l. 21. §. 7. ff. d. furt.

X I I I.

*Quid autem si quis sic contra prohibitionem  
ingressus, aliquid ceperit: eritne id quod captum  
est, capientis? an nullius? an domini prohiben-  
tis? Hoc postremum nobis videtur.*

Non capientis, (quamvis hoc plerisq; placeat) quia in quæstione il-  
la: An aper qui in laqueum à me infundo alieno positum ita incidit,  
ut eluctari nullo modo possit, meus (h. e. capientis) fuerit; Interesse  
dicit Proculus in l. 55. ff. de acquir. rer. domin. utrum permissu eius cuius  
fundus



fundus erat laqueum posuerim; an non permissu. Non autem inter-  
 esset, si etiam non permittente domino laqueum ponens, meum face-  
 rem. Quò etiam videntur facere verba illa *re integrâ*, in §. 14. *Inst. h. t.*  
 quibus significatur, *re integrâ*, id est antequam quid in alieno captum  
 sit, prohibitum non acquirere dominium animalis capti: *re non inte-*  
*grâ prohibitum*, acquirere. Alioqui verba illa erunt otiosa & super-  
 flua. Sed & non convenit, ut eodem iure utatur is qui vi facit atq; ille-  
 gitimè, quo utitur is, qui facit iure: *exemplo l. 2. §. 15. ff. ne quid in loco publ.*  
 Non etiam nullius: quia utiq; apprehensum & occupatum est; nec am-  
 plius in naturali suâ libertate & laxitate, *d. §. 12. Inst. h. t. l. 3. §. 14. ff. de*  
*acquir. possess.* Sed eius qui dominus fundi est: quasi per capientem ipse ce-  
 perit. (Per alium enim nobis possessionem & dominium acquiri po-  
 test, & quidem etiam ignorantibus, §. pen. in fin. *Inst. per quas pers.*  
*cuiq; acquir. l. 13. pr. ff. de acquir. rer. dom. l. 34. §. 1. l. 49. §. ult. ff. de acquir.*  
*vel amitt. poss. l. 1. C. eod. tit.*) Quomodo etiam dominus fundi in quo  
 thesaurum alius invenit, per occupationem & factum inventoris, di-  
 midiam thesauri partem acquirat *l. 63. pr. & §. 3. ff. de acquir. rer. domin.*  
 & per factum furis proprietarius vel bonæ fidei possessor fit dominus  
 fructuum decceptorum. *l. 12. §. 5. ff. d. usufructu l. 25. §. 1. ff. d. usur.* & si-  
 cut donasse intelligitur materiam domino soli, qui malâ fide in alieno  
 ædificavit. *§. 30. Inst. h. t.* Sic donandi animo operam atq; ministerium  
 suum domino fundi in occupando præstitisse videri potest is, qui in  
 alieno malâ fide aucupatus, venatus, piscatus est.

## X I V.

*Ceterum animalia illa captata diu nostra  
 esse intelliguntur, donec nostrâ custodiâ coërcen-  
 tur, (a) & à nobis possidentur: (b) cum verò in  
 libertatem, sive laxitatem (c) naturalem sese  
 receperint, (d) nostra esse desinunt, & rursus oc-  
 cupantis fiunt. (e)*

a) *d. §. 12. Inst. h. t. & d. l. 3. §. 2. ff. de acquir. rer. domin.* (b) velu-  
 ei si feras in vivarijs, pisces in piscinâ, aves in ornithone seu aviario,

B

apes



071  
apes in alveo habeamus. l. 3. §. 14. ff. d. acquir. vel omitt. possess. Cuiac. lib. 4. obser. 2. (c) l. 55. ff. de acquir. rer. domin. (d) veluti si in sylva sint, etiam circumseptâ: vel in stagno aut lacu: vel in arbore. d. l. 3. §. 14. ff. d. acquir. vel omitt. poss. Cuiac. d. lib. 4. obs. 2. (e) d. §. 12. Inst. h. t. & d. l. 3. §. 2. ff. de acquir. rer. domin.

X V.

*Non idem in animalibus fera naturæ ijs, quæ ex consuetudine abire & redire, vel evolare & revolare solent: (a) sed in his talis regula comprobata est: ut eò usq; nostra esse intelligantur, donec animum revertendi habeant: (b) quamvis à nobis non possideantur. (c)*

a) Veluti apes, pavones, columbæ §. 15. Inst. h. t. l. 5. §. 5. ff. d. acquir. rer. dom. b) dd. locis. c) l. 47. ff. d. acquir. vel omitt. poss.

X V I.

*Secundus modus acquirendi iure naturali, est occupatio in bello, seu acquisitio prædæ: Quæ (a) enim ex hostibus (b) capimus, statim nostra fiunt. (c)*

a) Mobilia scilicet. l. 20. §. 1. ff. de capt. & postlim. revers. b) Hostes autem in Iure nostro dicuntur esse ij, quibus bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano. l. 24. ff. de capt. & postlim. revers. l. 118. ff. de verb. signif. Quales Romanis præcipuè fuisse Germanos innuit Vlpianus in d. l. 24. docet autem gravissimè Corn. Tacitus in lib. de Mor. German. c) §. 17. Inst. h. t. l. 5. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. 1. ff. de acquir. poss.

X V I I.

*Atq; hoc acquirendi modo etiam liberi homines in potestatem & dominium nostrum rediguntur.*

d. §. 17.



177  
d. §. 17. l. 7. in pr. ff. de acquir. rer. dom. §. 4. Inst. de Iure pers. Sic S. Petrus 2. epist. cap. 2. A quo quis superatus est, huius & servus est.

X V I I I.

Tertius modus est, Inventio (a) lapillorū, gemmarum, margaritarum, aliarumq; rerum, (b) quæ in mari, vel littore maris (c) inveniuntur. Hæc enim jure naturali statim inventoris sunt. (d)

a) Quæ non fit oculis & animo solo, sed manibus & apprehensione l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. vers. ult. ff. de acquir. vel omitt. poss. l. 13. C. de fideiuss. Occupatio enim requiritur, ut res quæ nullius est, nostra fiat: dict. sup. thes. 8. & 9. sed ea sine apprehensione fieri nequit: & res mobiles nõ aliter, nisi quatenus in custodiã nostrã sunt, possidentur, l. 3. §. 13. l. 47. ff. de acquir. possess. (b) Quæ nullius sunt sup. th. 8. & 9. aliã secus §. ult. Inst. de rer. divis. Adde infra thes. 36. (c) Imò ipsum mare, & terra si-ve arena maris, nec non litus, quæ nullius sunt, §. 1. & 5. Inst. h. t. per ædificationem in mari aut littore, quasi per apprehensionem quandam & occupationem acquiruntur; l. 14. pr. l. 30. in fin. ff. de acquir. rer. dom. l. 45. ff. de usurp. & usucap. quatenus scilicet ædificij pars fiunt l. 20. §. 2. ff. d. servit. præd. urb. l. 5. §. ult. ff. quib. mod. usufr. vel usus amitt. l. 16. §. 2. ff. de pignor. l. 98. §. 8. vers. Nec simile ff. de solut. & liberat. Ideoq; diruto ædificio, revertitur locus in pristinam causam l. 6. pr. ff. de rer. divis. d. l. 14. ff. de acquir. rer. dom. (d) §. 18. Inst. h. t. l. 3. §. 1. ff. de acquir. vel omitt. possess.

X I X.

Quartus est, Fœtura animalium (a) dominio nostro subiectorum. Naturali enim iure fœtus ad dominum animalis, cuius is fœtus est, pertinet. (b)

a) Etiam rationaliũ. Nam de partu ancillæ dicitur in l. 12. ff. de Rei vindicat. (b) §. 19. Inst. h. t. l. 2. l. 6. ff. de acquir. rer. domin. Atq; id-

B 2

circò



177  
circo si equam meam equus tuus pregnantem fecerit, non est tuum,  
sed meum quod natum est. l. 5. §. 2. ff. de Rei vind. l. 52. §. 20. ff. de furtis.

X X.

Quintus est Alluvio. Quod enim per allu-  
vionem agro tuo flumen adiecit, iure gentium  
tibi acquiritur.

§. 20. Inst. h. t. l. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Aliud dicendum, si  
vis fluminis adiecerit. §. 21. Inst. eod. tit. d. l. 7. §. 2.

X X I.

Sextus est Acquisitio Insulae: de qua haec est  
regula: quod insula in mari nata, fiat occupan-  
tis: in flumine vero nata, fiat eorum, qui vicina  
pradia possident.

§. 22. Inst. h. t. l. 65. ff. d. acquir. rer. domin.

X X I I.

Septimus est: alvei mutatio. Si enim flu-  
men Alveo naturali derelicto in aliam partem  
fluere ceperit: prior quidem alveus derelictus,  
eorum est, qui prope ripam eius pradia pos-  
sident: novus autem fit iuris publici. Quod si  
post aliquod tempus ad veterem alveum rever-  
sum fuerit flumen: rursus is fit publici iuris: no-  
vus autem ille ad pristinum dominum non redit,  
sed fit eorum, qui prope ripam eius pradia possi-  
dent.

§. 23. Inst. h. t. l. 7. §. 5. ff. de acquir. rer. domin. Haec quidem ita ex stri-  
cta iuris naturalis ratione; eo quod ille ager, qui fuerat, desierit esse,  
amissa



amissâ propriâ formâ. Forma enim & species mutatur cum ex fundo fit alveus. At ex æquitate & benignitate ab illâ strictâ ratione recedendum est. Quod significat Gaius d. l. 7. §. 5. in fin. verbis illis: *sed vix est ut id obtineat.*

## X X I I I.

*Diversum est in Inundatione. Hæc enim regulariter fundi speciem non mutat: (a) ideoque licet dominus agri inundati, eius possessionē (b) atque dominium (c) interim amittat: tamen, si aqua recesserit, fundus ei restituitur, (d) atque sic eius mansisse videtur. (e)*

a) §. 24. Inst. h. t. l. 7. §. 6. ff. de acquir. rer. domin. Aliud ergo erit, si mutaverit fundi speciem, & ex fundo alveum fecerit l. 30. §. 3. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. 9. ff. de flumin. & arg. thes. preced. (b) l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. ff. de acquir. poss. (c) l. 23. ff. quib. mod. ususfr. amitt. (d) d. l. 23. §. l. 24. ff. quib. mod. ususfr. amitt. (e) d. §. 24. Inst. h. t. Quomodo etiam hæc phrasis accipitur in l. 30. C. de Jure dot. & l. pen. C. ad L. Falcid.

## X X I V.

*Octavus modus est Specificatio. De qua, si quis ex alterius materiâ speciem aliquam novam fecisset, variæ erant prudentum opiniones; (a) sed media tandem sententia obtinuit: ut si quis ex aliena (b) materiâ sine domini voluntate, (c) speciem aliquam novâ, quæ ad rudem & priorem materiam reduci non possit, (d) bona fide (e) suoque nomine (f) fecerit, (g) is sit eius speciei dominus. (h)*

a) propter diversarum regularum Iuris conflictum. Hinc enim stabat: quod, quicquid nullius est, id naturali ratione cedit occupanti.

B 3

sup.



21  
*Sup. th. 8. & 9.* atqui species ista nova antea nullius fuerat, & simul atq; producta fuit, per istam specificationem, occupata à specificante videtur. *l. 7. §. 7. in pr. l. 26. pr. l. 27. §. 1. ff. de acquir. rer. domin.* Illinc verò: quod, quicquid ex re nostra fit, vel superest, id nostrum est. *l. 12. §. 3. ff. ad Exhib. l. 49. §. 1. ff. de Rei vindic.* Atqui res ista ex materia nostra facta est & superest, cum sine materia species nulla esse possit. *d. l. 7. §. 7. ff. h. t. b)* scil. quæ in totum sit aliena. Si enim ex parte tantum fuerit alterius, ex parte verò specificantis, dubitandum non est, quin dominus fiat is qui fecit. *d. §. 25. vers. quod si partim. h. t.* ita tamen, ut si possit reduci ad pristinam materiam, quilibet maneat dominus suæ partis, *l. 12. §. 1. l. 27. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.* (c) si enim dominus consenserit, non attenditur an species ad pristinam materiam reduci possit sed simpliciter specificantis est. *l. 25. ff. de acquir. rer. dom. §. 27. Inst. h. t. d)* *d. §. 25. vers. & post multam d. l. 7. §. 7. vers. Est tamen etiam media.* si reduci nequeat, non materia formæ, sed forma materiæ cedit. *d. l. 11. e)* Aliàs enim species nova ad dominum materiæ pertinet *l. 12. §. 15. ff. ad Exhib. l. 52. §. 14. ff. de furt. l. 4. §. 20. ff. de usurpat. (f) l. 7. §. 7. l. 25. l. 27. §. 1. ult. ff. de acquir. rer. dom.* Sed quid si nomine Tertij fecerit? Tertij esse videtur: ut hæc sit regula, Qui suo nomine speciem faciens sibi acquirit: is alieno nomine faciens, ei acquirit, cuius nomine fecit: quatenus alius eidem acquirere possessionem, & per eam dominium potest. (g) non eam, quæ est, vel antea fuit, detexerit: ut qui grana, quæ spicis continebantur, excusserit. Etsi enim grana in spicas reduci non possint: atq; idcirco exemplum excussionis illius, conditionem sive distinctionem propositam illustret, eaq; ratione referatur *in d. §. 25. Inst. h. t. & d. l. 2. §. 7.* tamen in eo diversitas consistit, quod excussio ista non est specificatio: cum speciem non faciat *d. l. 7. §. 7. in fin. argumento à notatione & coniugatis. (h) d. §. 25. & d. l. 7. §. 7. & c.*

X X V.

*Nonus est Accessio. Si quid rei alij principali perficienda (a) vel ornanda (b) accedit, id fit eius, cuius est res ipsa principalis (c)*

(b) ut vestimento purpura §. 26. *Inst. h. t.* statuæ pes aut manus: scypho fundus aut ansa: lecto, fulcrum: navi, tabulæ: ædificio, cæmen-  
ium



tum l. 26. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 23. §. 2. ff. de Rei vindicat. (b) veluti si gemma annulo ornando adhibetur, tum illa ut accessio huic tanquam principali cedit: & vicissim si annulus gemmæ ornandæ gratiâ factus est, annulus cedit gemmæ l. 19. §. 15 ff. de aur. & argent. leg. Quod si ignoretur utra res alteri accesserit, unaquæq; manebit suo domino l. 27. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 30. §. 1. & ibi Bartol. ff. de usucap. & usurpat. (c) d. §. 26. & d. l. 26. §. 1.

X X V I.

Decimus modus est Confusio. Si enim duorum materia (a) confusæ sint, (b) totum utriusq; fit commune.

a) liquidæ vel liquefactæ: ut vina, & metalla. (b) siue utriusq; voluntate, siue fortuito §. 27. Inst. h. t. l. 7. §. 8. & 9. ff. de acquir. rer. domin. Posteriore tamen casu adhibenda distinctio: ut si confusæ materiæ in suâ substantiâ manserunt, & commodè separari possunt, cuiq; pro parte eâ, quam contulit vindicatio competat. l. 3. §. 2. & l. 4. ff. de Rei vindicat. sin non manserint in suâ substantiâ, sed propria quædam species ex ijs orta sit, tum ea fiat confundentis seu specificantis l. 5. §. 1. ff. de rei vindicat. thes. 24. (c) pro indiviso scilicet, & proportione geometrica d. l. 3. & 4. arg. §. 28. in fin. Inst. h. t. & arg. l. 6. ff. pro socio.

X X V I I.

Undecimus est Commixtio. Si enim duorum materia (a) voluntate (b) dominorum misceantur, totum quod inde extitit, utriusq; fit commune. (c)

a) solidæ, vel aridæ: veluti frumenta, pecora & nummi. (b) si casu si casu: tum enim quisq; suæ rei dominus manet §. 28. vers. quod si casu. Inst. h. t. l. 5. pr. ff. de Rei vindicat. Peculiare tamen illud in nummis, ut si quis alienos cum suis eiusdê speciei & figuræ fortuito miscuerit, eorum dominus fiat l. 28. ff. d. solut. (c) pro indiviso, & proportione geometrica ut thes. preced.

Duo-



X X V I I I.

Duo decimus est Inædificatio. (a) Omne enim quod solo (b) inædificatur, solo cedit (c)

a) vel ius soli. l. 25. pr. ff. de usur. sed id generalius, & præter hunc, etiam sequentes tres modos comprehendit, (b) privato scilicet vide thes. 18. lit. C. (c) Fit igitur dominus ædificij is qui dominus est soli: sive ipse in suo solo ex alterius materia ædificaverit §. 29. Inst. h. t. l. 7. §. 10. ff. de acquir. rer. domin. quamvis interim materiæ dominus, non desinat eiusdem dominus esse dd. locis. sive alius in ipsius solo ex materiâ suâ ædificaverit §. 30. Inst. eod. tit. d. l. 7 §. 12. ff. d. t. quo casu, materiæ dominus, idemq; ædificator, desinat materiæ dominus esse, eamq; domino soli donasse intelligitur, utiq; si malâ fide, sciens solum alienum esse ædificaverit, dd. locis. Atq; hinc naturale ius dicitur esse, quod superficies ad dominum soli pertineat l. 50. ff. ad L. Aquil.

X X I X.

Decimus tertius est Implantatio; vel stirpium alienarum acquisitio. Quod enim in alieno solo plantatur, ex quo tempore radices egit, eius fit cuius solum est.

§. 31. Inst. h. t. l. 7. §. ult. ff. de acquir. rer. domin.

X X X.

Decimus quartus est Satio, vel segetis alienæ acquisitio. Qua enim ratione planta, quæ terræ coalescunt, solo cedunt: eadem ratione frumta quoq; quæ sata sunt solo cedere intelliguntur.

§. 32. Inst. h. t. l. 9. pr. ff. de acquir. rer. domin.

X X X I.

Decimus quintus est Scriptura. Literæ enim licet aureæ sint, perinde chartis membranisq;



nisq; cedunt, ac solo cedere solent ea qua in adifi-  
cantur, implantantur, aut inseruntur.

S. 33. Inst. h. t. l. 9. S. 1. ff. de acquir. rer. domin.

X X X I I.

Non idem est in pictura. Hæc enim quan-  
quam naturali ratione cedit tabula, qualiscunq;  
sit: (a) tamen civili ratione (b) placuit, tabulam  
picturæ cedere debere. (c)

a) Naturali enim iure semper superficies cedit solo. l. 50. ff. ad  
L. Aquil. l. 3. S. 7. ff. uti possid. dictum thes. præced. 28. 29. 30. 31. neq; atten-  
ditur pretium rei, alteri accedentis S. 26. ibi licet pretiosior. S. 33. ibi,  
licet aurea. Inst. h. t. cum necesse sit ei rei cedi, quod sine illâ esse non  
potest. l. 23. S. 3. ff. de Rei vindicat. Quæ verba coniecturam præbent,  
non de quæstione simplici, An sit, sed de coniunctâ Cur sit, Paulum ibi-  
dem loqui, atq; idcirco ab alijs ICtis, & Imp. Iustiniano non dissentiri.  
(b) Ne scilicet absurdum illud sequatur: ut præstantissima pictu-  
ra, quamq; alius præter illum artificem, aut difficulter & raro exem-  
plo, aut nullo modo exprimere imitando possit, cedat tabulæ etiam  
vilissimæ. S. 34. vers. ridiculum. Inst. h. t. (c) d. S. 34. l. 9. S. 2. ff. de acquir.  
rer. domin.

X X X I I I.

Decimus septimus est, Perceptio fructuū;  
Si quis enim à non-domino, quem dominum esse  
credebat, bonâ fide fundum (a) emerit, vel ex do-  
natione, (b) aliâve qualibet iustâ causâ, æquè  
bonâ fide acceperit, naturali ratione placuit fru-  
ctus (d) quos perceperit, (e) eius esse (f) pro  
cultura & cura (g)

a) exempli causa scil: Idem enim in pecudum, aliarumve re-  
rum, fructu percipiendo. S. 37. Inst. h. t. l. 28. pr. ff. de usuris. l. 4. S. 19. ff.  
de usucap.



477  
usucap. l. 48. §. ult. ff. de acquir. rer. domin. §. 4. Inst. de usu & habit.  
b) Hinc patet non esse distinguendum inter titulum lucrativum &  
onerosum. (c) Intellige secundum subiectam materiam, acquirendi  
scilicet rerum dominij: hoc est, quæ iustam dominij opinionem præ-  
beat: quomodo iustæ causæ sunt venditio, donatio, dos, & similes.  
h. §. 35. & §. 39. Institut. h. t. l. 31. princ. ff. de acquir. rer. dom. Idem tamen  
etiam est, si quis ex causâ pignoris rem acceperit. Nam & creditor  
(qui & ipse bonæ fidei possessor est. l. 22. §. 2. ff. de pignor. act. l. 22. §. 1. ff.  
de noxal. act. l. 13. §. 1. ff. de public. in rem act.) fructus ex re pignoratâ  
animo sibi acquirendi & debito imputandi percipiens, (quod ipsi fa-  
cere ius est. l. ult. C. de partu pignoris. l. 1. C. de distract. pignor. l. 1. 2. 3. &  
ult. C. de pignor. act.) & c. eos suos facit interim, dum scilicet debitum omne  
exolvatur, vel certè cum fructibus imputetur. Docuit præclare honoris  
causâ nominatus Dn. Doct. Justus Meierus in ἐνδὲξοις Justinianæis, decad. 5.  
cap. 4. Aliud est, si quis acceperit ex causâ Precarij, vel Sequestri. Neque  
enim vel Precariò possidens, vel Sequester, ius habet acquirendi fru-  
ctus rei precariò datæ, vel sequestro positæ: quamvis uterque iustè possi-  
deat. d. l. 13. §. 1. ff. de Publiciana in rem act. d. l. 22. ff. de noxal. act. l. 7. §. 2.  
ff. Commun. divid. l. 21. vers. cum igitur. C. de Furtis. l. 17. §. 1. ff. Depositi l. 30.  
ff. de acquir. poss. Atque hoc forsitan vult Pomponius in l. 45. ff. de Usuris:  
quando inquit, Nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris fieri fructus perceptos.  
Vtiq; enim non fiunt eius qui precariò possidet, nec sequestris: fiunt  
tamen eius qui opinione domini possidet: vel iure pignoris, hoc est  
creditoris: ut diximus. (d) Cum de industrialibus (h. e. ijs qui dili-  
gentiâ & operâ possessoris proveniunt. l. 48. pr. ff. de acquir. rer. dom.  
qui ex facto eius nascuntur, quosve is suis operis acquirat, l. 45. ff. de usu-  
ris) nihil exprimatur, potest coniectura capi quasi nec sententia Iusti-  
niani sit, ut requiratur an industriales illi fructus sint. arg. l. 8. ff. de Pre-  
blici. Imò cum Paulus in l. 48. in pr. & §. ult. ff. de acquir. rer. dom. disertè  
enunciet, Bonæ fidei possessorem non tantùm eos fructus qui diligen-  
tiâ & operâ eius provenerunt, sed omnes, atq; etiam in specie ovium  
fœtus, lac & lanam, (vid. lit. A.) percipiendos suos facere: evidentissimū  
est, distinctionem illam hîc locum habere non posse. (e) Percipien-  
do enim eius fiunt, non nascendo, aut consumendo. l. 48. pr. ff. de ac-  
quir. rer. domin. Perceptionem autem fructuum hîc accipere debe-  
mus, non si perfectè collecti, sed etiam si cæpti ita percipi, ut terrâ sele  
con



continere desierint. l. 78. ff. de Rei vindic. d. l. 48. pr. vers. deniq. nec di-  
 stinguimus, an ipse bonæ fidei possessor eos à solo separaverit, an verò  
 alius: aut etiam an per se deciderint. l. 13. ff. Quib. mod. ususfr. vel us. amitt.  
 l. 25. §. 1. ff. de Usuris. Aliàs quamdiu solo cohærent fructus, fundi sunt.  
 l. 61. §. 8. ff. de Furt. l. 44. ff. de Rei vind. Consumendo verò suos eos facere  
 non nisi abusivè dicitur bonæ fidei possessor; veriùs lucrari. Rerum  
 enim consumptarum, quæ in rerum naturâ esse desierunt, dominium  
 esse non potest. (f) Interim scil: d. l. 48. pr. hoc est, ut si bonâ fide  
 quoq; consumpti fuerint, eorum nomine nihil restituatur: si verò  
 tum, cum res vindicabitur extent adhuc, ut tum, quamvis eorum do-  
 minus sit, (& quidem pleno iure. l. 28. pr. ff. de usur. ut scil. usucapi one  
 opus non habeat) eos restituat: l. 22. C. de Rei vindic. aut si tum eos con-  
 sumpserit, eo nomine teneatur §. 2. in fin. Inst. de offic. Judicis. Non ve-  
 rò absolutè & irrevocabiliter, & iure perpetui dominij, (seu perfectè  
 l. 38. §. 3. ff. de solut. & purè l. 3. §. 2. C. com. de legat.) Sic enim non modò  
 naturales fructus eius non fiunt. dd. ll. quomodo etiam cõmodè accipi  
 potest & reconciliari. d. l. 45. in fin. ff. de usur. Sed neq; industriales: quã-  
 vis hi ita fiant mariti. d. l. 45. pr. sed tantum consumptos hoc modo bo-  
 næ fidei possessor suos facit, vel potiùs lucratur. l. 40. ff. de acquir. rer.  
 dom. & arg. §. 35. ibi, de fructibus ab eo consumptis. Inst. h. t. (g) d. §. 35. ut  
 scil. eo præmiò invitetur ad rem undè fructus, five naturales five in-  
 dustriales, percipiuntur, colendam & curandam: ne doleat diligens  
 operam suam agri dedisse culturæ, nec diligentiam suam sibi damno-  
 sam intelligat. l. ult. C. de Alluvion.

X X X I V.

Perceptione quoq; fructuum dominium ac-  
 quirunt Usufructuarius (a) & colonus: (b) sed  
 hitum demum, si ipsi eos perceperint. (c)

a) §. 36. princ. Instit. de rer. divis. (b) d. §. 36. vers. Eodem ferè.  
 c) De usufructuario id expresum est in d. §. 36. ut & in l. 25. §. 1. ff. de  
 usur. l. 13. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 12. §. 5 ff. de usufr. l. 8 ff. de annuis le-  
 gatis. De Colono idem testatur Theophilus Paraphraustes Græcus  
 ad h. §. 36. & facit l. 60. §. 5. ff. locat. l. 52. §. 8. l. 61. §. d. ff. de Furtis. Quod  
 innuit etiam ratio ordinis. Aliàs enim de colono statim post bonæ fi-  
 dei

abit.  
 m &  
 rendi  
 præ-  
 ales.  
 men  
 ditor  
 §. 1. ff.  
 orata  
 si fa-  
 3. &  
 mne  
 noris  
 ad. §.  
 Neg  
 i fr  
 possi-  
 §. 2.  
 i. l. 39.  
 suris  
 ptos.  
 fiunt  
 oc est  
 i dili-  
 dom.  
 e usu-  
 multi-  
 e præ-  
 sertè  
 gen-  
 ium  
 imū  
 ien.  
 le ac-  
 ebe-  
 sele  
 cony





27  
dei possessorem tractari debuisset, cui similior esset, non post fructua-  
rium. Suadet & hoc, quod tùm hìc tùm alibi Colonus cum Vsfu-  
ctuario comparatur. l. 12. ff. quod vi aut clàm.

X X X V.

Decimus octavus *modus est* Thesauri (a)  
inventio. (b) *Si quis enim Thesaurum, non  
malis artibus in loco suo, aut in sacro fortuito in-  
venerit, totum eum sibi acquirit: at partem tan-  
tùm dimidiam, si in loco alieno privato, vel Cæ-  
saris, vel fisci, vel publico, vel civitatis (c)*

a) Thesaurus autem hìc accipitur in specie pro veteri quadam  
depositione pecuniæ, cuius non extat memoria, ut iam dominum nõ  
habeat, Quod verò quis vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ, sub  
terrâ condiderit, non est thesaurus. l. 31. §. 1. ff. de acquir. rer. domin.  
b) scil. non visio tantùm, sed & apprehensio & occupatio. l. 3. §. 3. in  
fin. ff. de acquir. poss. dictum supra thes. 18. Atq; sic etiam Aristoteles  
lib. 1. Rhet. cap. 5. inter videre & invenire thesaurum distinguit. c) §. 39.  
Instit. h. t. l. 63. per tot. ff. de acquir. rer. domin. l. 67. ff. de rei vindicat.  
l. unic. C. de thesaur. Ratione ea: quia eius fit qui invenerit, quod  
non alteriùs est. d. l. 31. eod. tit. sive, quòd ea quæ nullius in bonis sunt,  
naturali ratione occupantis fiant. dict. sup. thes. 8. & 9. A qua non absce-  
dit ea, quòd thesaurus sit donum fortunæ. d. l. 63. §. 1. & 3. ff. d. t. Arist. 3.  
Eth. 3. vel potiùs Dei donum. d. l. un. C. de Thesauris.

X X X V I.

Decimus nonus est Traditio. (a) *De qua  
sic potest concipi regula: Si dominus, aut alius  
qui alienandi potestatem habet, rem suam, ex  
causâ iustâ animo transferendi dominij, alteri  
eodem animo accipienti tradat, dominum eum  
iure naturali facit. (b)*

a) quæ



a) quæ est possessionis translatio. l. 3. ff. de act. empti. l. 8. C. eod. l. 28. ff. de verb. oblig. Ideoq; tantum est rerum corporalium. §. 40. ibi cuiuscunq; generis sit corporalis res. Inst. h. t. l. 3. §. 10. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 9. C. d. bon. proscript. Incorporales verò res traditionem non recipiunt. l. 43. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. (b) §. 40. 41. 42. 43. Inst. h. t. l. 9. §. 3. & 4. l. 31. l. 36. ff. de acquir. rer. dom. l. 18. ff. de reb. cred. l. 20. C. de Pactis.

X X X V I I.

Vigefimus est, Traditio ficta. Si enim dominus rem suam qua nullo dominij titulo apud alium est, adeoq; non interveniente traditione presenti, ex causa ad dominium transferendum apta, retinere eum patitur; illa ipsa patientia & voluntate, qua pro traditione est, dominum eum facit. (a) Idem est, si vice rei tradat symbolum. (b)

a) §. 44. Inst. h. t. l. 9. §. 5. ff. d. t. (b) veluti claves horrei. §. 45. Inst. h. t. l. 74. ff. de contrab. empt. vel instrumentum, sive scripturam qua dominij probationem continet. l. 1. C. de donat. l. 15. C. de Rei vindic.

X X X V I I I.

Vigefimus primus & postremus dominij Jure naturali sive gentium acquirendi modus est, Occupatio rei pro derelicto (A) habitæ. Si enim rem (a) pro derelicto à domino habitam (b) occupaverit (c) quis, iure naturali statim eius dominus efficitur. (d)

A) Neutro genere, vel substantivè & absolutè, ut non referatur ad particulam Rei: quomodo Gellius l. 4. noct. Attic. c. 12. arborem vineamq; derelictui habere dicit. Cui similes sunt illæ Ictorum locutiones: pro suo possideo. l. 1. ff. pro suo. Sui iuris sumus, l. 20. ff. de novat.





277  
& deleg. Sui heredes defuncto sumus. l. 3 ff. de pet. her. (a) sive mobilem sive immobilem. Non enim distinguitur. (b) Pro derelicto autem habetur, quod dominus eâ mente abiecerit, vel repudiaverit, (omiserit inquit Paulus in l. 2. §. 1. ff. pro derelicto) ut id in numero rerum suarum esse nolit. (c) Easi enim statim res desinit omittentis esse. d. l. 2. §. 1. l. 43. §. 5. ff. de furt. non fit tamen alterius, nisi possessa fuerit. d. l. 2. §. 1. Apprehensio igitur requiritur. l. 36. ff. de stipul. serv. dictum sup. thes. 9. Interim nullius, & sine domino erit, quamvis servus fuerit pro derelicto habitus. l. 38. ff. de noxal. act. (d) Quod enim nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. §. 12. Inst. h. t. l. 3. pr. ff. de acquir. possess.

X X X I X.

*Non idem iuris est in occupatione rerum earum; quae in tempestate levanda navis causa eijciuntur. Haec enim dominorum permanent: & ideo si quis eas sive fluctibus expulsas & in littore iacentes, sive in mari nantes, sive etiam submersas, lucrandi animo contrectaverit, furtum committit.*

§ ult. Inst. h. t. l. 9. § ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 8. ff. de L. Rhodiâ de Jactu. arg. l. 13. pr. ff. de acquir. poss. l. 43. §. 11. ff. de furt. Et ratio est: Quia palàm est, eas non eo animo eijci, quòd quis eas habere nolit, sed quòd magis cum ipsa navi maris periculum effugiat; & quantum ex rebus illis salvum recipere possit, recipiat. d. § ult. & dd. ll.

X L.

*Eadem est ratio earum rerum quae de rhedâ corrente non intelligentibus dominis cadunt: (a) aut quas onere pressus quis abiecit, mox cum alijs reversurus, ut auferret: (b) aut amisit naufragio: (c) aut fortè perdidit. (d)*

a) §. ult.



877  
a) §. ult. in fin. Inst. h. t. l. 3. pr. ff. de incend. ruin. naufr. (b) l. 8. ff. de L. Rhodiâ de iactu. (c) l. 44. vers. idem ait. ff. de acquir. rer. domin. l. 13. pr. l. 21. §. 1. ff. de acquir. poss. l. 3. pr. ff. de incend. l. 9. ff. de L. Rhodiâ. l. 1. §. C. de naufrag. l. 18. cum Authent. Navigia. C. de furtis. (d) l. 43. §. 4. ff. de furt. l. 67. ff. de Rei vindic. Nec interest sive sciat fraudulentus contrectator, cuius ea res sit, sive ignoret. Nihil enim ad furtum minuendum ista ignorantia facit. d. l. 43. §. 4. & seqq.

*Atq; hæc de Dominio, & eius acquirendis  
modis naturalibus pro presenti σύνθησα  
sufficiant.*

DEO SOLI GLORIA.





111





Strapberg, Dr. ss., 1693-22

ULB Halle

3

005 303 01X



1017










Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



166

FRIDICÆ  
MINIO,  
ODIS AC-  
URALIBUS:  
MINVS  
ente.  
SANCTAE  
IS,  
CHII F. U. D.  
M ARGEN-  
Professoris,  
suscepit,  
o:  
ELAUFF  
riacus.  
RATI,  
Academia Typographus  
III.

1613, 5.

